FIRST BISHOP OF BATH AND WELLS.

Roger,

elected 6 Feb. 1242-3; preferred to the see 3 Feb. 1243-4; consecrated 11 Sept. 1244.

140.

1243-4, Feb. 3.—*Pope Innocent IV. confers the bishopric of Bath on the Precentor of Sarum.*

Anno I. [Innocentii Papæ IV.] epist. 474.

INNOCENTIUS &c. PRIORI ET CONVENTUI ECCLESIE BATHONIEN'.

Ecclesia vestra pastoris solacio destituta vos sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis convenientes in unum, vocatis propter hoc evocandis, et Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium . . Precentorem Sare[s]berien' virum providum et discretum in patrem vestrum et Episcopum canonice ac concorditer elegistis, electionem ipsam nobis per dilectos filios Thom' et Gilibertum Monachos et Nuntios vestros, qui apud nos super assumpti promotione negotii fideliter institerunt, nichil de contingentibus omittendo, et per vestras litteras presentantes ac petentes humiliter per eosdem ut cum rectis dispositionibus nichil debeat difficultatis afferri, electionem ipsam confirmare de benignitate Sedis Apostolice curaremus . . procuratore . . Decani et Capituli Wellen' ecclesie in contrarium respondente dictam electionem non confirmandam esse set potius irritandam ex eo, ut asserebat, quod cum dicti Decanus et Capitulum essent in possessione vel quasi una vobiscum eligendi Episcopum ipsis contemptis qui requiri poterant et de jure debebant ad electionem presumpsistis procedere celebrandam. Ne igitur diutius gregi dominico cura desit, et Episcopatus qui ob vacationem diutinam gravem sustinuit hactenus in spiritualibus et temporalibus lesionem si propter hujusmodi litigiorum circuitus contingeret eam vacare diutius irreparabile detrimentum incurreret in utrisque, nos ei paterno compatientes affectu et attendentes prerogativam virtutum et morum Precentoris ejusdem, cui sicut ex testimoniis multorum fide dignorum que quidem credibilia facta sunt nimis accepimus et utique acceptamus, vite munditia eminens litterarum scientia et utilis diligentie circumspectio suffragantur ipsum de plenitudine potestatis vobis absque prejudicio Wellensis ecclesie quo ad jus seu possessionem vel quasi juris eligendi prefecimus in Episcopum et Pastorem spe nobis firma proposita, quod actore illo qui dans virtutes premia elargitur, et gratie gratiam superaddit ecclesia vestra per diligentie sue studium grata in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca universitatem vestram monemus ac hortamur attentius ac per Apostolica scripta mandamus quatinus ipsi tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis, et exhibeatis obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote ac inviolabiliter observando. Alioquin sententiam quam idem rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Deo irrefragabiliter observari. Datum Laterani III. Nonas Februarii, Anno Primo.

141.

1243-4, Feb. 16.—*The pope on the same matter; to the clergy of the city and diocese of Bath; to the Elect of Canterbury; to the people of the city and diocese of Bath; and to the King of England.*

In eundem modum Clero Civitatis et diocesis Bathonien' *usque in finem.* Datum Laterani XIIII. Kalendas Martii Pontificatus nostri Anno Primo.

In eundem fere modum . . Electo Cantuarien' &c. *usque* incrementa. Ideoque mandamus quatinus per Suffraganeos tuos facias sibi munus consecrationis impendi. Datum ut supra.

In eundem modum Populo Civitatis et diocesis Bathonien' &c. *ut in prima usque* exhibeatis honorificentiam debitam et devotam *usque* observando. [Datum ut supra.]

In eundem modum . . illustri Regi Anglie *usque* incrementa. Quocirca celsitudinem Regiam rogamus, monemus et hortamur attentius, quatinus quod de ipso Precentore super hoc a nobis immo a Domino factum est gratum gerens, ipsumque cum commisso sibi Episcopatu propensius habens pro divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia commendatum, ac te illi exhibens favorabilem et benignum, ei bona temporalia ejusdem Episcopatus prout ad te pertinet facias assignari, ac ipsum in eorum possessionem induci, ita quod idem per auxilium tue gratie in cura suscepti regiminis pastoralis possit efficacius operari, et tu inde divinam misericordiam et gratiam Apostolice Sedis valeas uberius promereri, nosque sinceritatis tue zelum possimus dignis in Domino laudibus commendare. Datum ut supra.

[*Vatican Transcripts,—Add MSS.* 15355, *f.* 71.]

142.

1244, April 1.—*The pope decrees that the convent of Bath and the chapter of Wells shall in future, upon any vacancy of the see, have equal powers in the election of a bishop; but reserves for further consideration the question as to the seat of the bishopric, and the style of the bishop.*

Innocentius, &c. Priori et Conventui Bathonien'.

Prolixa litis dilatio pacis emula, nutrix discordie, comodi parca, larga dispendii, gladii judicialis ictum non sine litigantium jactura multiplici et gravi justitie lesione suspendit, exactrix quidem sumptuum et laborum extortrix sic ei veritatem impliciti confusione processus involvit ut vix postmodum adhibita etiam attentionis manu sollicite valeat explicari, propter quod sepius litigantes post expensas inutiles et labores inanes dampnum sustinent sui juris. Unde Sedis Apostolice providentia illud circa causarum strepitus quantum est in ipsa moderantie studium adhibet ut prorogationis detrimento vitato post debite ventilationis examen vel juste mucrone sententie decidantur, aut amicabili sopiantur concordia, seu etiam meta ipsis equa provisione figatur quatinus partium parcatur sumptibus, quieti provideatur eorum, et cuique jus suum integre conservetur. Sane bone memorie . . Episcopo viam universe carnis ingresso vos dilectum filium nunc Electum vestrum tunc Precentorem Saresberien' in Episcopum elegistis vobis tandem electionem nobis hujusmodi per Thomam et Gilibertum Monachos vestros Nuntios presentantibus, eamque petentibus confirmari, dilectus filius J. Sarracenus Capellanus noster Decanus Wellen' ecclesie pro eadem ecclesia ex adverso respondit, quod cum comtemptis eo et Capitulo Wellen' qui debebant de jure requiri et erant in possessione vel quasi una vobiscum Pontificem eligendi predicta electio celebrata fuisset confirmanda non erat set potius irritanda. Nobis itaque ne diu maneret grex dominicus absque cura et Episcopatus ex longa vacatione grave in spiritualibus et temporalibus incurreret detrimentum, prefatum Electum eidem Episcopatui sine cujuslibet prejudicio in Episcopum preficientibus de plenitudine potestatis utriusque partis Nuntii humiliter petierunt ut ne in posterum cum Episcopatum eundem vacare contingeret posset ex hoc super electione Pastoris litigium exhoriri providere in hac parte paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur futuris volentes obviare periculis omnemque litis materiam amputare, de fratrum nostrorum consilio ex eadem potestatis plenitudine sic super hiis duximus providendum, ut decetero cum Episcopatus ipse vacaverit vos et iidem Decanus et Capitulum simul electioni celebrande de Presule intersitis pares in hoc penitus existentes, ita quod utraque partium licet forte plures sint ex una quam ex altera parem et equalem in eligendo postulando et alias procurando eidem Episcopatui provideri habeat potestatem. Et si earum aliqua uni vel duobus ex ipsa super hoc commiserit vices suas illius vel eorum non minus valeant quam omnes relique partis voces, statuentes ut electionis processus aliter habitus sit omnino vacuus et irritus ipso jure, utrique ipsarum in aliis jure salvo videlicet ubi sit electio celebranda, in qua ecclesia Sedes esse debeat Cathedralis, et fieri habeat Pontificis installatio, et etiam cujus ecclesie sit Episcopus nominandus. Datum Laterani Kalendis Aprilis, Anno Primo.

[*Vatican Transcripts—Add. MSS.* 15355, f. 116.]

¶ See No. 147 as to the notice of this ordinance recorded in the Wells Register]

143.

1244, May 10.—*The king, at the request of the pope, gives his assent to the election of Roger, late Precentor of Sarum, to the Bishopric of Bath, and restores to him the temporalities of the See.*

PRO ELECTO BATHON.'

Rex adhibuit assensum et favorem prefectioni facte de magistro Rogero Sar' quondam precentore Sar' in Episcopum Bathon' ad instanciam domini pape de gracia Regis speciali salvo jure Regis et ecclesie Wellensis. Et mandatum est militibus liberis hominibus et omnibus aliis tenentibus de episcopatu predicto quod ei in omnibus que ad predictum episcopatum pertinent intendentes sint et respondentes. In cujus rei etc. Teste ut supra [*i.e.* apud Radinge x die Maii].

Et mandatum est custodi episcopatus Bathon' quod ei de omnibus terris et tenementis et aliis rebus ad predictum episcopatum pertinentibus plenam seisinam ei habere faciat retentis ad opus Regis bladis et aliis ad Regem pertinentibus. Teste ut supra.

[*Patent Roll*, 28 *Hen. III. m.* 6.]

144.

1242, Nov. 27—1244, May 10.—*Account of the See of Bath up to the day of delivery to Roger, bishop-elect.*

Compotus Roberti Passelewe de episcopatu Bathon' a xxvij die Novembris anno xxvij usque ad x. diem Maii anno xxviij antequam liberaret dictum episcopatum Magistro Rogero electo ejusdem episcopatus per breve Regis retentis ad opus Regis bladis et aliis ad Regem spectantibus sicut continetur in eodem brevi preter manerium de Dogemanefeude.

[*Pipe Roll* (Rot. Comp.), 31 *Hen. III.*]

145.

1244, July 24.—*The king orders a plot of land in the City of London on Thames-side to be bought, and a landing-stage to be built thereon for his use, out of arrears of the See of Bath, and a certain fine paid by the bishop-elect.*

DE QUADAM DOMO AD ESTAGIUM FACIENDUM.

Mandatum est Roberto Passelewe quod quandam placeam in civitate London' super kayum Tamis' emat ad opus Regis et in eadem placia quandam domum ad estagium CCC. pedes in longitudine continentem cum kernellis et alea ad kernellos versus Tamis' ad prius quod poterit fieri faciat et bona celaria sub domo illa et ad placiam illam emendam et domum illam faciendam assignata sunt ei omnia arreragia exituum episcopatus Bath' et finis CCCC. libr. quem Electus Bath' fecit cum Rege pro bladis ejusdem episcopatus. Teste ut supra (*i.e.* apud Denecastre xxiiij die Julij].

[*Close Roll*, 28 *Hen.* III. *m.* 4].

146.

1244, Aug. 25.—*The prior and convent of Bath notify that the fact of Reading Abbey being assigned for the consecration of their bishop-elect shall be without prejudice to the right of Christ's Church, Canterbury.*

Universis Christi fidelibus presens [scriptum] inspecturis Thomas Prior et Conventus sancti Petri Bathon' salutem in Domino sempiternam. Universitati vestre presentium testimonio notum facimus quod cum venerabiles viri Prior et Capitulum Ecclesie Christi Cant' ad instantiam venerabilis patris domini R[ogeri] Electi nostri favorabiliter concessisset eidem ut exigentibus causis necessariis et diversis ubi dominus Cant' Electus prefato Electo nostro diem consecrationis et locum assignaret posset consecrari et idem dominus Cant' electus eidem domino R. electo nostro diem consecrationis sue scilicet diem Dominicam proximam post Nativitatem beate Virginis apud Rading' assignasset promittimus et protestamur quod occasione consecrationis illius apud Rading' facte nichil dictis Priori et Capitulo ecclesie Christi Cant' depereat vel prejudicium aliquod generetur circa consecrationes suffraganeorum Cant' ecclesie qui ibidem consecrationis honorem recipere tenentur Datum apud Bathon' in crastino sancti Bartholomei apostoli anno Domini M° CC° quadragesimo quarto.

[*Reg. Bath Abbey, p.* 57.

147.

1244, Sept. 11.—*Roger, precentor of Sarum, is consecrated bishop of Bath at Reading by William de Ralegh, bishop of Winchester.*

. . . tandem Rogerus consecratus die dominica proxima post Nativitatem beate Marie in ecclesia conventuali de Rading per W. de Ralegh episcopum Winton' et tunc ordinatum est per Papam quod quando dictus episcopatus vacaverit Bath' monachi et Well' canonici equalem habeant potestatem super electione facienda.
[*Harl. MS.* 6968, *f.* 46.]

Tercio id' Septembr' consecratus est apud Radinge magister Rogerus precentor Sarr' in episcopum Bathoniensem.
[*Annal. Mon. de Waverle* (Cotton MS. Vespasian A. xvi.), *f.* 140.]

R[ogerus] precentor Sarum consecratus est in episcopum Bathon' iii. Idus Septembris a Willielmo episcopo Wynton'. Et Fulco Basset in episcopum London' *etc.*
[*Annal. Winton.* (Cotton M.S. Domitian A. xiii), f. 48 b.]

148.

1244, Oct. 27.—*The prior and convent of Bath notify the appointment of a proctor on their behalf at the Court of Rome.*

Universis Christi fidelibus ad quos presentes littere pervenerint Thomas Prior et Conventus Bathon' salutem in Domino Noverit universitas vestra nos constituisse dilectum confratrem Gilebertum de Dunnestr' latorem presentium procuratorem nostrum in curia Romana ad impetrandum et contradicendum et in judices consentiendum. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum Bath' anno gracie M° CC° xl° iiij° in vigilia apostolorum Symonis et Jude.

Item alie littere sub eadem forma concepte nomine Ricardi clerici.
[*Reg. Bath Abbey, p.* 57.]

149.

1244, Oct. 27—1244-5, Jan. 26.—*Letters of the prior and convent of Bath, authorizing sums of money to be borrowed in their name to expedite their business at the Court of Rome.*

Omnibus Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit Thomas Prior Bathon' et ejusdem loci conventus salutem eternam in Domino Noveritis nos constituisse dilectum confratrem nostrum Gilebertum de Dunnestr' procuratorem nostrum ad contrahendum mutuum usque ad summam decem marcarum nomine Ecclesie nostre Bathon' pro expediendis negotiis nostris in curia Romana ac dedisse et concessisse eidem G. potestatem ad obligandum nos et Ecclesiam nostram usque ad summam memoratam per has litteras nostras patentes mercatoribus quibus ipse viderit expedire. In cujus rei etc. Datum Bath' anno gracie M° CC° xliii° vigilia apostolorum S. et J.

In eadem forma qua supra duo paria litterarum ad impetrandum et contradicendum nomine[1] Thome de Theok' et Nicholai clerici.

Item in forma prescripta una littera nomine Thome cantoris concepta ad contrahendum mutuum usque ad summam decem marcarum Dat' litterarum anno Domini M° CC° xliiij° In crastino Conversionis sancti Pauli [*i.e.* 26^to^ die Januarii].
[*Reg. Bath Abbey, p.* 57.]

150.

1244-5, Jan. 3.—*Decree of Pope Innocent the Fourth, that Bath and Wells shall both be cathedral churches, and that the bishop shall be styled bishop of Bath and Wells.*

Anno II. [Innocentii Papæ IV.] epist. 185.

Innocentius &c. Decano et Capitulo Wellen'.

Romana ecclesia que super omnes alias obtinet divina institutione primatum, circa singulas materne diligentie cura sedulo vigilans earum profectibus velud sollers

[1] Rather *nominibus*.

procuratrix ardenter intendit, studens ea submovere penitus, quorum occasione posset ipsorum profectuum impediri successus, et illa efficaciter agere, quorum valeant suffragio provenire. Specialiter autem in ecclesiis ipsis litigiorum cupit extinguere fomitem, et pacis tranquillum ponere inter eas, ut restricto ecclesie cujuslibet libito, freno sententie, aut provisionis moderamine temperato, vel diffinitione revocato concordie, nulla illicito appetitu trahatur, et altera manus injuriose ad jus alterius non extendat, set limitato affectu cujuslibet, contenta unaquaeque maneat jure suo, quatinus sic ab eis jurgiorum sublata materia, devotius et acceptius sub caritatis mutue vinculo, altissimo valeat famulari. Hinc est quod cum inter vos ex parte una, et . . Priorem et Conventum ecclesie Bathonien' ex altera super jure eligendi Pontificem questione suborta duxerimus providendum, ut cum Episcopatum vacare contigerit vos et iidem Prior et Conventus simul interessetis electioni de presule celebrande, pares in hoc penitus existentes utrique partium in aliis jure salvo, videlicet ubi esset electio celebranda in qua ecclesia sedes deberet existere Cathedralis, et fieri debeat Pontificis installatio, et etiam cujus [ecclesie] esset Episcopus nominandus, quia posset adhuc gravibus via patere litigiis, nisi super hujus articulis solita curaremus sollicitudine providere. Nos periculis futuris occurrere, ac Bathonien' et Wellen' ecclesiarum paci et tranquillitati plenius consulere cupientes, si[c] super hiis statuimus de fratrum nostrorum consilio et plenitudine potestatis, ut cum Episcopatus ipse vacaverit, prima vice in Bathonien', alia vero in Wellen' ecclesiis, et sic vicissim semper in ipsis Pontificis electio celebretur, et utraque Cathedralis existat. Ubi autem celebrata fuerit electio, ibi primo installetur Pontifex, et utriusque ecclesie Episcopus nominetur, Bathonien' videlicet et Wellen', et sic in sigillo contineatur ipsius. Nulli ergo &c. nostre constitutionis &c. Si quis &c. Datum Lugduni III. Nonas Januarii, anno Secundo.

[*Vatican Transcripts.—Add. MSS.* 15,355, *f.* 153.]

151.

1244-5, Jan. 6.—*Letters of the prior and convent of Bath, acknowledging their obligation to pay two sums, of* 20 *marks each, at two feasts then following; being money borrowed for the business of their church.*

Omnibus Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit Thomas prior et Conventus Bathon' salutem in Domino. Noveritis quod nos anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto tenemur solvere Jacobo Fresel ad Pentecosten viginti marcas et ad festum apostolorum Petri et Pauli xx marcas quas ab eo mutuo accepimus pro arduis negotiis ecclesie nostre. In cujus rei testimonium presentes litteras patentes sigillo nostro munitas ei fecimus. Dat' Bathon' die Epiphanie memorato anno etc.

[*Reg. Bath Abbey, p.* 36.]

¶ On the margin here (or rather alongside the following entry—granting to John Hose, his heirs and assigns yearly, four pounds of pepper and sixty salmon which they (the prior and convent) have been wont to receive yearly *de Manerio de Cheorlecumba*—) is drawn a hand with index forefinger emphasizing the words :—"nulli tradatur inspiciend." I suppose it to *point* to the entry of money borrowed.

152.

1245, April 9.—*Grant of a small parcel of land in Wells made by Bishop Roger, yet styling himself bishop of Bath only.*

Omnibus sancte matris ecclesie filiis ad quos presens scriptum pervenerit Thomas Prior Bathon' et ejusdem loci Conventus salutem. Vestra noverit universitas nos cartam venerabilis patris nostri Rogeri Bathon. [episcopi] inspexisse sub hac forma. Omnibus Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit Rogerus miseratione divina Bathon' Episcopus salutem in Domino. Noveritis nos dedisse concessisse et hac presenti carta nostra confirmasse Roberto le sedere pro servitio dimidiam acram terre arabilis cum pertinentiis suis in Manerio nostro de Well' in Tythesput-furlang que jacet inter terram Hugonis clerici et terram Willielmi Brun et habutat super cheminum versus gardinum nostrum de Well' ex parte orientali Habendam et tenendam sibi et heredibus suis vel ejus assignatis de nobis et successoribus nostris libere quiete bene et in pace inperpetuum Reddendo inde annuatim predictus Robertus et heredes sui vel ejus assignati nobis et successoribus nostris duodecim denarios ad

quatuor anni terminos videlicet ad hockeday tres denarios ad festum sancti Johannis baptiste tres denarios ad festum Beati Michaelis tres denarios et ad Nativitatem Domini tres denarios pro omni servitio consuetudine exactione et demanda seculari Et nos et successores nostri predictam dimidiam acram cum pertinentiis suis prefato Roberto et heredibus suis vel ejus assignati contra omnes mortales warantizabimus. Ut hec autem nostra donatio concessio et hujus carte confirmatio rate stabiles et inconcusse inperpetuum perseverent presentem cartam sigilli nostri muninine duximus confirmandam. Hiis testibus Will'o Buch' Galfrido drapar' Huberto de Norfolk' Ada Canon Ricar' le Noreys Ricar' brun et aliis. Nos igitur supradictam donationem concessionem et carte confirmationem ratam habentes et gratam ipsam quantum in nobis est duximus confirmare.[1] In cujus rei testimonium presenti scripto nostrum fecimus apponi sigillum. Dat. apud Bathon. v. Idus Aprilis Anno Domini M° CC°. xlquinto.

[*Reg. Bath Abbey, p.* 69.]

153.

1245, May 14.—*Bishop Roger, having neglected to obey the Papal ordinance, is peremptorily commanded by the pope to style himself forthwith bishop of Bath and Wells, and to use that title on his seal.*

Anno II. [Innocentii Papæ IV.] epist. 556.

Innocentius &c. Bathonien' et Wellen' Episcopo.

Cum juxta ordinationem nostram Bathonien' et Wellen' Episcopus debeas nominari, idque in tuo Sigillo debeat contineri, tu hec pro tuo voluntatis arbitrio facere denegas, prout dilectorum filiorum Decani et Capituli Wellen' [petitio] exhibita nobis patefecit. Volentes igitur ut talia corrigas per teipsum, fraternitati tue per Apostolica Scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus prefate ordinationis tenorem Bathonien' et Wellen' te nomines, et id apponi facias in sigillo. Mandatum nostrum taliter impleturus, quod super hoc aliter scribere non cogamur. Datum Lugduni II. Idus Maii, Anno Secundo.

[*Vatican Transcripts.—Add. MSS.* 15355, *f.* 235.]

THE END.

DU MOULIN-BROWNE OF EASEBOURNE, AND MOORE OF FAWLEY.

In October 1884, "The History of a Great English House," by Mrs. C. Roundell, was reviewed in *The Genealogist*. The story itself is so interesting, so full of the real romance of history, and so gracefully told that there would seem to be nothing in any way to add to her pages, but by a singular oversight in one who has written with so much care and research she ends with the co-heirs of the 8th Viscount Montague, the Brownes of Cowdray, instead of with the heir general of the Brownes of Easebourne, and of the 9th Viscount, who is now the sole representative of the family. The error is a curious one, as although from circumstances which will be told in this short supplement to Mrs. Roundell's story the mistake could easily have been accounted for in an ordinary writer of family history, it is strange that such facts as the marriage of the sisters of the last Lord Montague, given in the parish registers, and also the birth of the sons of the elder sister, registered at the Herald's College, and signed by their

[1] The same form "*duximus confirmare*" is used in all the five charters here entered.